

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4287

Auteur(s) : Guillaume de Saint-Pierre [chevalier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1223...

Lieu d'émission : La Lucerne

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Saint-Pierre, chevalier, confirme les donations faites par son grand-père et son père à l'abbaye et aux chanoines de Saint-Trinité de La Lucerne et leurs possessions qui se trouvent dans son fief. Il ajoute la donation d'une rente annuelle de 2 quartiers de froment en en précisant la condition.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° LXIX, p. 60-61.

Texte établi d'après a

Omnibus tam presentibus quam futuris ego Guillelmus de Sancto Petro, miles, notum esse volo quod cum canonici Sancte Trinitatis de Lucerna duos quarterios frumenti, ex dono Ranulphi de Sancto Petro, avi mei, a Stephano patre meo et a me percipere consuevissent annuatim in molta et molendino meo de Ponte, ego supradictus Guillelmus, pro salute anime mee et parentum meorum, illos duos quarterios frumenti jamdictis canonicis, dilectis et familiaribus meis, concessi et in puram et perpetuam elemosinam confirmavi percipiendos singulis annis in perpetuum, ad festum Sancti Michaelis, libere omnino et quiete in eodem molendino et molta, et insuper concessi et confirmavi eis quicquid habent in feodo meo, ex dono Guillelmi de Lezeaux, filii Philippi, et ex dono Renaldi Fabri et Radulphi filii ejus, libere et quiete in perpetuum possidendum ; preterea, quia idem canonici concesserunt michi et heredibus meis unum cursum aque per pratum suum de Sancto Ligerio, amodo possidendum, in eo loco quo erat quando hec carta facta fuit et pacifice omnino, in quantum ad eos pertinet, et quod capud excluse mee firmet in eodem prato, ego, pro ista eorumdem concessione, dedi eis et assignavi alios duos quarterios frumenti in supradicto molendino et molta percipiendos similiter singulis annis, ad festum Sancti Michaelis, libere et quiete omnino, conventionem tali interposita: quod ego vel heres meus in prato vel in terra eorumdem non debemus fodere, aut glebas capere, nec exclusam illam nec cursum aque de loco in quo erat in die conventionis facte movere, nec cursum aque latiore facere, et quod, si dicti canonici illos duos quarterios frumenti ad festum prenomiatum Sancti Michaelis, vel tardius ad purificationem beate Marie Virginis, habere non potuerint, liceat eis, absque contradictione aliqua, exclusam frangere et eandem aquam auferre, quousque de supradicto frumento sit eis plenarie satisfactum. Si vero aliquo casu contingit quod ego vel heres meus prefato aque cursu et excluse non indigemus, ita quod nec nos nec alius aliquis per nos eundem cursum aque et caput excluse habeat, cartam nostram de perpetua dimissione et renuntiatione prefate excluse et cursus aque dictis canonicis facere debemus et ipsi eam debent recipere et de eodem prato suo, ad voluntatem et utilitatem suam, per omnia et in omnibus locis ejusdem prati disponere, et tunc

a solutione predictorum duorum quarteriorum frumenti debemus esse quieti. Que omnia ut in perpetuum firmiter et inconcusse teneantur, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Testibus his: Guillelmo Abrincensi archidiacono, Guillelmo filio Rogeri, presbitero ; Petro Nobili, Ranulpho Cementario, Guillelmo de Ploun, Ricardo Le Cointe et conventu Lucerne. Actum est hoc apud Lucernam.